Crac. Stud. Univ. Jagel.
Promotiones Philos. Ord.
1702 die 29 mensis Maii.

Brykner Stanisl. Hieron: Adytum Jagellonicae Palladis VV. DD. XXI. Viris in Philosophia Licentiatis reseratum.

Poezya 2901.

_L

ADYTUM
IAGELLONICÆ PALLADIS,
VV. DD. XXI. Viris in Philosophia Licentiatis
AD INGRESSUM DOCTORALIS CATHEDRÆ,
In Alma Vniversitate Cracoviensi
RESERATVM.
Dumq; Iidem
PER
Clarissimum & Admodum Rndum Dominum,
D. M. MARTINUM BIELECKI,
Philisophiæ Doctorem, Collegam Majorem, Regium, & Tylicianum, Eloquentiæ Professorem, Ecclesiarum Collegiatarum, S. ANNÆ Crac: & Tarnoviensis CANONICUM,
Jn Florentissima Nobilissimorum Hospitum, & Amplissimi Senatûs Academici, Corona,
AA: Liberalium Magistri, & Philosophiæ Doctores, ritu solenni renuntiarentur;
A Perillustri & Reverendissimo Domino
PROCANCELLARIO,
Elogijs in actu Licentiaturæ publicè dictis;
& à STANISLAO HIERONYMO BRYKNER,
Ejusdem Secundæ Laureæ Licentiato,
In Argumentum propensi affectûs, & devoti pectoris,
Ligata Oratione cum Insignibus
ADORNATVM.
Anno Domini 1702. Die 29 Mensis Maij.

CRACOVIÆ Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL S.R.M. Ord: Typ:

IN STEMMA, ILLVSTRISSIMI, & REVERENDISSIMI DOMINI.



I.

E cœlo SRZENIAVA fluens ſinuatur in arvis
Sarmaticis; Oleas pacis vt inde riget.

II.

Gemmas Pactolus, niveas dant æquora baccas;
Vnio ſed Patriæ, FLUMINIS hujus erit.

ILLVSTRISSIMO,
&
REVERENDISSIMO DOMINO,
D. JOSEPHO
COMITI in WISNICZ & IAROSŁAW
LUBOMIRSKI
S. R. IMPERII PRINCIPI,
ABBATIÆ TYNECENSIS
PERPETVO ADMINISTRATORI,
CANONICO NATO CRACOVIENSI,

DOMINO & MECÆNATI COLENDISSIMO.

SI *quando Laurearum Nostarum vigori meliùs consulere potuimus, maximè ad Limpidum* GENTILITIJ TUI SRZENIAVÆ AMNEM Princeps Illustrissime. *Pullulant enim illæ eò gloriosiùs in literaria arena, quò veriùs exundanti gratiarū* Tuarum *irrigantur profluviô. Neq; periculū aliquod me vereri jubes, etsi ita altiore,* Illustrissimus SRZENIAVA Tuus *diffluat cataclismô. Diluviū hoc non tam crystallinæ crediderim lymphæ, quàm innatarum* TIBI *gratiarum; quæ quàm largis à* TE *dimanent laticibus, ne septena quidem Nili*

ſufficerent oſtia. Si Lydius Pactolus, aureis dives arenis Poloniæ irrigaret campos; adhuc TUUM SRZENIAVAM *mallet Patria, magis Literarius exoptaret Orbis, commune vulgus imploraret. Si pretioſas Gangis expiſcaremur opes; adhuc è* LUBOMIRSCIANO FLUMINE *meliùs ditaremur. Ille eſt* AMNIS TUUS PRINCEPS Illuſtriſſime, *qui toties vltimam Patriæ levavit ſitim, exæſtuantes hoſtium extinxerat ardores, omnem Sarmatiæ affuderat, & hucuſq; affūdit felicitatem, tot pretioſiſſimos Poloniæ deſpumando Vniones, Viros inquam immortali memoria digniſſimos; qui in Senatu Catones, Domi Curios, militiæ Camillos, magnanimitate Alexandros, fortitudine Fabios, erga majeſtatem, propenſione Zopyros, Religione Numas, amore Patriæ, Scipiones, ſuperàrunt Heròés; Ipſi Sarmatici Generis & Orbis Amor, titulô, Sanguine* DRUSORUM *Romanorum,* IULIORUM, OCTAVIORUM, CLAUDIORUM, NERONUMQ; *ſemper Auguſtorum, Illuſtriſſimi, & diplomate* RUDOLPHI, *& Boleſlai, Cracoviæ, ac Sandomiriæ Ducis, Commendatiſſimi.* ILLUSTRISSIMUS ILLE THEODORICVS LVBOMIRSKI *grata voluptas ſuorum, Terror hoſtium;* SEBASTIANVS, IOACHIMVS *Caſtellani Voinicenſes, Sandomirienſes, Sanocenſes, labentis Poloniæ, Fulcra; turbatæ, Præſidia;*

florentis

florentis Decora; immotæ Statores Ioves: pro Focis, NICOLAI, PROCOPII, SIXSTI, *indefessi jugi bellorum anfractu, Alcidæ; pro Aris*, SEBASTIANI, STANISLAI, CHRISTOPHORI, S. R. Imperij PRINCIPES, *primiq; tot* SERENISSIMORUM *REGVM, Augustissimorum CÆSARVM, vt quondam Macedonis Ephæstiones, præcipuè tamen* STANISLAVS LVBOMIRSKI *Palatinus Cracoviensis*, PROAVVS Tuus *seculorum Prodigium, ad invidiam Gentium, relictum posteritati in binis* FILIJS *mentis heroicæ Prototypus:* CONSTANTINO LVBOMIRSKI *Pincerna Regni; cujus vel ex ipso Nomine infractum pectus, adamas aminus silex fortitudo, non tantùm terruit hostes, sed & contrivit;* ALEXANDRO *Palatino Cracov: veriore Macedone; qui calcatâ toties Othomanicâ Lunâ, edoctâ,* LUBOMIRSCIORUM *fortitudinem Barbarie, cùm Cælum Sarmatiæ meritis excessit heroicis, purum evolare in æthera victor spiritus debuit; majorem, quia immortalē ab obitu vitam exorsurus. Speravit enim se compensaturum provectam annorum longitudinem in* ILLUSTRISSIMO IOSEPHO CAROLO LVBOMIRSKI S. R. Imperij PRINCIPE, *Supremo Regni Mareschalco, Serenissimi ac Invictissimi olim IOANNIS* III. *Gratia, hodie AVGVSTI* II. *Fidei Orthodoxæ Clypei, Amore; in cujus devo-*

 to pectore

to pectore, tota securiùs quiescere valet Majestas; Scivit Illum, auro aurum, quia meritis merita additurum; vt ita vltima vitæ illius periodus, esset prima, post fata sua, Tullianæ materia dictioni. Quodsi modica pagina non jam præclarissimorum seriem gestorum, sed Nomen Illustrissimi *olim* GEORGII LVBOMIRSKI *Supremi Regni Mareschalci, Exercituum Regni Campiductoris* Avi Tui, *ingeniò Divini, consiliô maximi, & aurei verè Tripodis, ambire voluero, redigor in angustias; si* STANISLAVM *Supremum Regni Mareschalcū Vivum Poloniæ Oraculum, obmutesco; si* HIERONYMVM *Castellanum Cracov: Supremum Regni Ducem, Herculem Lechicum, non suppetunt ingenij vires; si* FRANCISCVM *olim Capitaneum Olstinensem, Pompeium Sarmaticum, impar pompæ & celebritati tanti Nominis consisto Orator; si* GEORGIVM *Succamerarium Regni, Capitaneum Casimiriensem, Extinctorem hostium, lumina deficiunt Tulliana; si deniq;* ALEXANDRVM LVBOMIRSKI S. R. Imperij Principem *Capitaneum Sandecensem, inter Majores* Tuos Princeps Illustrissime, *Maximum; Ajacem strenuissimū* Parentem Tuum, *ingenti Illius virtutum mole obruor. Non sola enim Patriæ dedit merita, non ipsâ Poloniam implevit gloriâ, etiam vltra limites extendit; cùm certare pares & vin-*

cere

cere primos rectefactorũ reliquit Successores, GEORGIVM *Sandecensẽ*, & MICHAELEM *Preclaviensem Capitaneos, Fulmina belli, infractosq; Gradivos, dexteritatis Ideas*; TE *insuper votorum Coronidem. Orbis Iagellonici Coronam, meritorũ Illiadẽ, probitatis Exemplar, Ecclesiæ Lumen, Ornamentũ Patriæ; cujus ampliata per Antecessores* TUOS *confinia, auges Nominis magnitugine, plenitudine virtutũ excedis, favore innato, insueta mortalibus humanitate, vel Ipsi Literario Orbi tot gratiarũ præstas documenta, quot ne somniare, vel fingere quidem fabulosa Antiquitas potuisset. Ea est in Cracias Musas* TUA *benevolentia, quam adhuc à Majoribus acceperas; vt majorem in dies exhibeas propensionem. Ille* TUUS *in Patriam amor, in literatos favor, & verus, quem cum* ILLUSTISSIMO SANGUINE & GENTILITIO SRZENIAVA *imbibisti candor; vt priùs Alcidæ hastam, vel Homero carmen eripere, quàm gratiarum* TUARUM *numerum adnotare possim. Merita non revolvo, quibus imprimendis Cælum pro pagina substituere deberem; gloriam non exaro, quam fasti complecti nequeunt; quia & limites pridem excessit Sarmaticos. Liquet enim sat clarô documentô quàm bene* ABBATIALI TUO *Munere, Benedictinæ gloriam thesaurizes Provinciæ! Eremiticas Illustres Vmbras! quantum sub* TUO *Sacratior Ordo proficiat exa-*

 ctissimo

ctissimo Officio, quantâ affluat animi lætitiâ, quoties sibi, Iove dignam non denegas præsentiam! Ipsa Montis Tynecensis juga, vel ideo in altum prominent; ut ita in Tui *applausum meliùs assurgere videatur. Desijt ampliùs solitaria esse* BENEDICTI *Eremus, cui virtutum* Tuarum *Centuriam invexisti, merita accumulâsti. Dubium nonnisi reliquisti, inter Religiosam modestiam, an modestiâ oculorū servare jubeas? postquam semper irretortâ in* Te *palpebrâ exemplarissima vita* Tua *singulos cogit figere. Ita omnia exequeris, ut* Te, *vix omnes adæquent; ita præluces singulis, ut solem* Te, *e profundis* Srzeniavæ *vorticibus ad Vistuleas undas liceat intueri. Quare cùm ingentium meritorum luce, nostros perstringis oculos; ego cliens* Tuus, *sub umbram* Tuæ *confugio protectionis & gratiæ; seu Palladiū figo ad plantas* ADYTUM, *ut ita vel à* Tuis, *virtutibus consecretur. depono Academicas Laureas ad* Gentilitium Srzeniavam; *ut illarum meliori consulam felicitati. Favebis ejusmodi* Adyto, *qui totū* Te *Sacratioribus Aris consecrâsti. Suscipies primū hoc obsequij mei pignus, qui nunquā Majores meos, solita,* Tibi, *privâsti gratia; cui ego pariter me insinuo semper*

ILLUSTRISSIMÆ, ac REVERENDISSIMÆ
DOMINATIONIS VESTRÆ.

Humillimus Cliens
STANISLAUS HIERONYMUS BRYKNER P.L.

JAGELLONICÆ
PALLADIS,
COLVMNÆ,
B. JOANNI CANTIO

Sacræ Theol: Doctori & Professori, Almæ Vniversitatis, Studij Generalis Cracoviensis, totiusq; Regni Poloniæ,

TVTELARI,

Ara submissæ venerationis.

FVndito rivos saliente lympha,
De tuis venis Helicon bicollis;
Limpido potans calamum superni,
Fonte vigoris.
Non enim solæ, nitidæ corusco,
Ad Sacras Aras, solitæ patere
Igne scintillæ, gelidis & undis
Numina candent.
Audies CANTI, modulante plectro,
Quas canit voces, hilariq; mente
Plaudit, inflexis genibus volutus
Delius Aris.

Viderant quondam placidis ocellis
Te, Iagellonis Comites Camænæ;
Cracij postquam gemino foverent
Culmine Pindi;
Nec minùs sanctam stupuêre mentem.
Inter Illustres, titulis, honore,
Igneus totus probitate, zelo
Phæbus in Orbe
Luxeras; ipsis patulis ut vmbris,
Dempseris tetrum, meritò nigrorem;
Funditus celso, tenebras opacas,
Colle fugares.
Clara quàm pro tunc documenta cunctis
Integræ vitæ patuêre, CANTI!
Angulo quovis, resonavit intra
Gloria Cælum.
Iam per extensas Lechici Trionis
Sparseras oras, decus æviternum:
Insuper terras peragrans remotas,
Luce replêsti.
Non satìs tantam capiebat vna
Zona virtutem; cùm humili Quirinos
Viseras colles animo, Sacraq;
Golgotha, supplex.
Proximum, Cælo decuit stetisse;
Vnde prærupti juga montis alta
Scandis, à terris alienus, atq;
Orbe nefasto.
Adde nostris & pedibus ligatis
Vel Tuam plantam; meliùsq; stabit,
Lydio quàm si fuerit decora
Musa cothurno.

Peril-

Perillustri & Reverendissimo Domino,
D. M. SEBASTIANO PISKORSKI

V. I. Doctori & Professori, Ecclesiarum, Cathedralis Cracovien: Canonico, Collegiatarum, SS. Omnium Crac: Archidiacono, Vielunensis, Canonico, Almæ Vniversitatis Cracoviensis Procancellario Meritissimo.

Votum perennis gratitudinis cliens *appendit.*

GRatia, festivos celebra per tempora Pallas
Longa dies! Quid enim tantùm Quinquatria priscis
Thura dabunt séclis? & nostris explicat annis
Sol cum luce diem sacram, dum prominet Ara,
Magne Pater Tua. demisso ad quam vertice pronus
Procumbit Parnassus ovans, sed candida Iusti
Erigit hunc Præses; solitum ut Tibi reddat honorem.
Assistit dextro lateri duodena Sororum
Turba; sinistro, quæ celeri àéra concutit alâ
Fama, citum calamum, sese pariterq; fatigans
Obstrepit; aut potiùs lenes defluxa per auras,
Humanas aures svavi mulcere susurro
Non sinit; vt claro claras deprædicet ore
Laudes; quarum vel saltem compendia jactet.
Has vbi Castalidum Princeps supremus Apollo
Excepit voces, psallentis in æthere famæ,
Ipse salit, gratamq; chelyn mox pectine pulsat:
Concitat in plausus Pindum; tersisq; politâ
Fronte comis, cunctis, placido sic ore locutus:
Non aliud cecinisse juvat; gemin te triumphos,
Sacra Cohors! Pridem PISKORSKI maxima laudis
Portio. nec mirum; vix Te Lucina levârat,
In teneris labijs posuerunt mella Platonis
Virgineæ Volucres, pectus formare decorum
Gratia suscepit, mutæ dubiòq; Camænæ!

 Cujus-

Cujusnam genio priùs arrisisse studerent,
Et savisse genæ? Pindi Phæbone bicollis,
An Tibi Ephæbo? ut paulò post cessisset Apollo
Ipse loco; ad Sacras Aras nisi sponte Sacerdos
Debueras fieri; vel sola modestia justam
Dixisset causam, vel Numina plura dedissent.
Iam Te contuleras Italas Stagyrita per oras:
Omnia cum scires, etiam vidisse placebat.
Atq; Tuum quocunq; pedem fixisse volebas;
Vndiq; Pierides gressu famulante secutæ,
Defixêre oculos in Te. seu Doctor Athenas,
Seu Caput Orbis adis, totus Caput ipse vocandus;
Has ad seu remeas Musas; quas viderat vsq;
Tunc nullus meliùs lætas. Clarissimus inter
Claros mente viros; toties quem purpura texit;
Quantæ vix quoties spartæ supponeret armos
Ipse Sophum firmos Princeps. Quàm præpete dextrâ
Arripuit lancem, Cœlos Astræa relinquens,
Iustitium Te intrante! breves sic ducere versus
Percita penna nequit; longum nisì texere tempus
Mirando. Cùm docta Tuis Oracula labris
Profluxisse stupent animi, Parnassus Hydaspen
Fundere si posset, non posset fundere factis,
Congrua verba Tuis. Tantos vt Cracius ergo
Doctrinæ fontes in Te spectaverat Orbis;
Debuit Augustus trinis cinxisse coronis
Vavelus. vicibus quot eburnea sceptra gerebas,
Multiplici numerô dextram, calamumq; fatigas.
Quodsi Castalijs Procancellaria Iura
Iure modis referam? cancellis claudere strictis
Amplam materiem laudis, Nomenq; perenne
Ambirem. decus Ipse Tuum, pretiumq? manebis
Tu solus. si Te reticerent docta Maronis
Ora Pater, vel dura loqui potuisse, pateret
Marmora; quæ quoties gelidis sudoribus undant;
Eliciunt, & magna parant præconia. Divis
Divite tollis humo sumptu dum Altaria sacra,
Ipse Tuo celsas Aras attollis honori;
Candida vota quibus, semper devotus Apollo
Appendit: longæva Tuæ duc stamina vitæ.

Cla.

Clarissimis, Excellentissimis,
& ADMODUM REVERENDIS DOMINIS,
DD. EXAMINATORIBVS.

Clarissimo, & Admodum Reverendo Domino,

D. M. MARTINO BIELECKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Regio, & Tyliciano, Eloquentiæ Professori, Ecclesiarum Collegiatarum, Sanctæ Annæ Crac: & Tarnoviensis Canonico, ac interea Artisticæ Facultatis DECANO.

Clarissimo, & Admodum Reverendo Domino,

D. M. ANDREÆ BVCHOWSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Regio, & Geomotriæ Ordinario Professori, Curato Proboſovicensi.

Clarissimo, & Admodum Reverendo Domino,

D. M. SAMVELI IOANNI PODGVRSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Maiori Vocato, Ordinario Eloquentiæ Professori, Ecclesiæ Archipresbyteralis in Circulo Cracov: Pænitentiario Radiminsciano, S. R. M. Secretario.

Anathema debitæ gratitudinis O. D. C.

INtingat alas sangvine profluô,
Qui bellitiosi, prælia concinit,
Astusq; Martis, vel cruenti
Fluctuet in medio pericli.
Ego scatenti laurigeri Iugi
Intingo rivô. Ternio pulchrior,
Tuum notaturus perenne,
Niliaca, decus in papyro:
Favete plectris, & tenui chely,
Inter Palæstram Numina Gratiam;
Tubæ sonoræ si negatum est,
Tibia det modulamen ipsa.
Et hoc manebit præcipuum decus,
Et hæc futuræ symbola gloriæ
Erunt; quòd apta voce laudes
Musa nequit resonare Vobis.
Primus BIELECKI candidus integer
Sub purpurata chlamyde, recreas
Præses Iagelloni Lycei
Ingenio nitidam Coronam.

B Spectat

Spectat disertus Mercurius bene
Frondere Virgas; ore quibus Tuo
Rosas, hymettos addidisti
Eloquij fluidi rubentes.
Inter loquendum, verba sonantia,
Inter notandum, puncta quot imprimis;
Fastos adimplens; tot perennes
Amplificas Tibi jure laudes.
Excedis alti culmina Carpathi,
Vltra coruscum Sarmatiæ polum;
Te penna vexit, quò Columnas
Fixerat Herculibus Vetustas.
Quodsi celebrem, dulciloquo Tuas
Dotes BVCHOWSKI carmine, plurimas;
Albesco, scribendi Te, in ipso
Principio, tenui Camænâ.
Tu regulares in digitis capis
Motus Olympi, & tempora computas,
Attingis haud rarò Bootes,
Atq; Ioves, facilis remotos.
Metiris Orbes; ergo simul Tuas
Metire laudes Nominis inclyti;
Queis limites, vltra Triones,
Et Boreæ furias, reponis.
Quàm gratioso pectine barbiton
Pulsare nosti! scribere contigit
Dum facta Regum; mitto cantum;
Malo, Tuo dare lætus, aurem.
Restat Tuorum texere fusiùs
Laudes decorum, Gemma nitens, Decus,
Psallende PODGVRSKI, sed inter
Multiplices modulante plectro;
Modos; canam quo, non habeo modum:
Nec vna cujus pluribus & metris,
Virtus celebrari valeret;
Subtraho, si numeris notetur.
Confundis vnus mille Milesios
Subtilibus par, videro si Sophos;
Si specto facundos Pöetas,
Cederet ipse Maro Camænas.
Cedunt Lacones eximio Tibi,
In Orbe Nostro, maxime, Rhetori,
Virûm, precamur fata Vobis
Sint pariter procul hinc remota.

ADY-

ADYTUM
IAGIELLONICÆ PALLADIS
Soluta, & ligata Oratione
ADORNATVM.
I. V. D. STANISLAVS WOSINSKI.
hoc Elogium in actu Licentiaturæ sibi vendicavit.

JVs primogenituræ, optimæ ſpei Adoleſcenti conciliavit, non ipſe duntaxat Clariſsimus olim Pater, de inclyta Facultate Medica, atque Ampliſsima hac Vrbe longè meritiſsimus, STANISLAus Wosiński Phil: & Medicinæ Doctor Conſul Crac: ſed ipſa ſibi pulcherrima merces, & gloria Principalis virtus, Indoleſq; bonis artibus apprimè erudita: Pupillarem ſtatum ſuum protegente & promovente, perſpicaciſsimi in Iure obtutûs, & verticis aſtrigeri Aquilâ. Vnde ſolem Scientiarum Iurisprudentiam ſpeculatur intentiùs, praxiq; continuâ proſequi non omittit. Quapropter Nomen ſortiatur Speculatoris IureConſultorum Solis.

Hujus

Stemma Avitum: Pomum intra tres Cruces



Cum Lemmate Hinc ſapor gratus & odor.

ARboreo fætu, maturo Docte potiris
MALO WOSINSKI, Tergeminaq; CRUCE.
Ex ſapido POMO, quod geſtas noſcere poſsum,
Quàm exacuis famem! vel ſapis ore loquens!
Aurea, pervigili malè cuſtodita Dracone
Mala fuere; dedit malus & omne malum.
Tergeminâ quod munitur CRUCE tutiùs extat;
Nec mala jam metuas hinc bona cuncta feres.
Ergo & præcelſam Cathedram conſcende Sophorum;
Conſiſtet CRUCIBUS firmiùs illa Tuis.

8 d

III. V. D. IOANNES BRATKOWSKI.

FErax frugum, Virûmq, Magnorum Terra Sandomirienſis Iuvenem, ad optima quæq; compoſitum fudit; Mater Academia Bono publico educavit; manuducente Clariſsimo Viro MARTINO BIELECKI Tyliciano Oratore, Artiſtarum Decano. Mens illi jurare in verba Magiſtri; ſequatur felix tantum Philoſophorum, & Oratorum Prodronum, & aſſequatur: alter ſed poſt eum Demoſthenes nuncupatus.

Inſigne :
Apollinis, ramô Oleæ quo, Laurea ſolis de-

Cum Lemmate.



Liber apertus, ſuper Ara Palmæq; innixus, ſuper ſcribitur radiô. ſupra, Sidera Corona.
Deſcribit radio.

NObile Stemma geris BRATKOWSKI grande VOLUMEN
Aris impoſitum, ſubter OLYVA *viret.*
Dignus eras pridem, vernante vt tempora circum
Laurô cinxiſset docta Minerva caput.
An ſuperas titulum ſapienti mente celebrem?
Nam infra, quàm CODEX, *florida* PALMA *jacet.*
Deſcribit radiô Sol, quidquid ſcripſeris ipſe;
Cum Phæbo vnum aut vis? doctus Apollo vel es?

IV. V. D. IOANNES IOSEPHVS IANOWSKI.

MAjorum, in Cæleſti Hierarchia Luminarium, magna præfert Nomina; & vtramq; hanc teſſeram rectefactis exprimere contendit; vt & gratioſus ſit Ioannes, & Filius Accreſcens Academiæ Matri. Nutritium ſtudiorum ſortitus eſt, Clariſsimum Virum, Albertum Ioſephum Dźielſki, Collegam Minorem, Philoſophum acutiſsimum; ad cujus exemplar Philoſophicæ & Eccleſiaſticæ ſtationi parat Iuventam nobilem. Nomen habeat Chilonis; qui interrogatus, quid Iupiter faceret? reſpondit: Excelſa humiliat, humilia extollit.

Stemma.

Cum Lemmate.



PELICANUS nutriens pullos.

Dat Pectore vitam.

PEctoribus pullos PELICANUS *quando tenellos*
Pascit, vult dotes significare Tuas.
Artibus eximijs celebrem Te comprobat esse;
Céu Te nutriret lacte Minerva suo.
Sangvine Stemma scatet, documentó: quàm Tibi largè
Eloquij latices, ore manare solent!
Pectore vita Tuo, meliùs de vertice fluxit;
Vivendi multis porrigis unde modos.

V. V. D. GREGORIVS KNAPINSKI.

PRomptisimi Iuvenis ingenij, egregiè formatus, sive ad Philosophica, sive ad Mathematica, perspicacem pupillam adverterit, Objecta. Verè felici sub Sidere lucem primam aspexit! cui etiam Cœlestis illa Clari Montis Lucina, aspectu benefico favens adstitit. Ducem sequitur Togatæ Militiæ Clarissimū Virum PODGURSKI, Poëtam, Oratorem, Philosophum: Discipulus in verba Magistri juratus. Nomen illi Monimus Syracusanus, Vir eloquens, doctus, constans, soliusq, veritatis appetens.

Stemma:



Liber apertus, super quem Byretū Doctorale.

Cum Lemmate:

Hac sub vmbra clarescit.

PLena laboratis pateant cur folia scriptis,
Et CODEX *præstò totus apertus adest?*
Forsan virtutes orbi vult esse legendas?
Vt prodat laudes, prodit & ipse Liber.
Gloria clara, Tuum Nomen celebrare KNAPINSKI
Non sinet; vt pandit candida CHARTA *Decus.*
Literæ habent hoc: quòd nunquam sub sole latere
Possunt; hinc clarus Tu quoq; Doctor eris.

VI. V. D. ANTONIVS MICHAŁKOWSKI.

AB Aulæ lubrica & infida statione, ad quadratam sapientiæ Aram, excultam bonæ mentis aciem convertit; secutus exemplum, Reverendissimi Auunculi sui Canonici Vladislaviensis Archidiaconi Cruśuiciensis I. V. Doct: Hic post emensum, summa laude, & insigni profectu, in studijs Philosophicis curriculum, contemplationi altissimarum

C

Causa-

Causarum, Sacræq; Theologiæ Cælestibus Mysterijs, vestigandis, docile parat ingenium: ideoq; Divini Nomen promeretur Platonis.

Crux Gentilitia. intra duas Lunas, totidemq; Stellas,



Cum Epigraphe: Atticæ dabunt, lumina Nocti.

Ista duas LUNAS *quare* CRUX *dividit una?*
Partiris Doctor forsitan omne bonum?
Ad specimen MICHAŁKOVIÆ *virtutis habeto;*
Quòd plures Orbes luce replere queat.
Insomnes ducis noctes vel fortè? corusco
Ista Tibi quando lumine Signa favent.
Evibrent ergo radios hæc astra micantes;
Attica nox fiet clarior inde Tibi.

VII. V. D. THOMAS KIWATSKI.

EXcelsum Munimentum, quod sacram Regni Poloni Solymam, ad ortum è vicino respicit, luci dedit Iuvenem, gravitate morum, insigni in eloquentia Philosophicisq; disciplinis profectu cumulatissimum. Et lac, & solidiorem scientiarum cibum Mater Academia ingenuæ Soboli suæ subministravit. Colonia Albæ Ducalis Professione Grammaticâ exercuit, atq; ad capessendas Laureas evocavit. Iurisprudentiæ Omnipotenti omniaq; gubernanti Sacramentum dixit Orator & Philosophus. Dignus dicier: hic est Paulus Iureconsultorum summus.

Gentilitium Insigne: Sceptrum junctum Hastæ, supra Corona.



Cum Lemmate: Ambit vtrumq; Corona.

Nullus

NVllus fatidicum Cyrrham, aut Oràcla fatiget;
Insit quod SCEPTRUM, ac HASTA, CORONA Tibi?
Hasta geri decuit, dicet, qui spectat acumen;
Virtutisq; decus, cætera Signa notant.
Vel certè dictis gaudes Insignibus; æquâ
Si res perpendens pondero lance, Tuas.
HASTA, THOMAM; SCEPTRUM, sed Iagellonis Alumnum;
LANCKORONENSEM, sola CORONA docet.

VIII. V. D. MATHIAS IAMBORSKI.

SOrte genituræ, quæ super eum cecidit, in Submontanis, Districtûs Becensis docet, summos posse Viros crasso sub áère nasci. Ingenium certè sagax, amor sciendi æstuans, vigil perseverentia, indolis egregiæ Iuvenem humi repere non sinunt; sed ad fastigia bonæ mentis attollunt: ductu & auspició Clarissimi Viri Alberti TOPINSKI Collegæ Majoris: Oratoriæ, Philosophicæ, Iuridicæ Facultati addictus. Nominabitur Aristippus; qui interrogatus, quid ex studijs Philosophicis quæsisset? respondit: posse omnibus fidenter loqui.

Stemma Avitum: Tres Tubæ, in medio Rosa



Cum Lemmate: Nunquam Te fama tacebit.

QVid LITVI referunt? & quis jubet edere voces?
Psallit virtutes fama voluta Rosis.
BUCCINA trina sonat IAMBORSCI Nomen, in Orbe
Vt clarum reddat; tale quod ante fuit.
Ante fuit clarum, longè modò clarius extat;
Quod lucos inter, fama canora refert.
Fama canora refert trinis Te CORNIBUS; una
Cêu nequeat laudes TUBA sonare Tuas.

IX. V. D. NICOLAVS ZIĘTKIEWICZ Leopol:

ET moribus comptus, & ingenió promptus Adolescens, apprimeq; Philosophicis, Oratorijs studijs eruditus. Roxici naturam imitatus Leonis, per ardua dirigit generosus ad sublimia cursum; artibus ejus genitalis inpulsu Divam Astræam colit, propitiumq; Numen ejus sibi fortè

 bi fortè

bi fore sperat: Monitô illius in Glossa Iuris relatô obaudiens:

Quisquis amat clarus Iurisconsultus haberi,
Continuet studium; velit à quocunq; doceri;
Invigilet, nec vincat eum tortura laboris;
Fortior insurgat, cunctisq; recentior horis.

Nomen habeat Gai Veterum Iureconsultorum Celeberrimi.

Insigne Gentilitium Leo Lauream Coronam gestans, supra, Stella.



Cum Lemmate: Vertici coronando.

QVorsum cum serto Libycus sat præpete passu,
Erectis pedibus currit, & unde Leo?
Forsan Laurigero Craci de monte CORONAM,
Hanc Tibi ZIĘTKIEWICZ *depositurus adest?*
Crediderim certè; cùm & pendeat ANNULUS; *ultro*
Quô Te desponset docta Camæna sibi.
Iste pedes, tantô præcingit si Leo sertô!
Quid dicam? cinget quanta Corona Caput!

X. V. D. FRANCISCVS NIEWIESKI

CLarissimi olim ac Eruditissimi Viri Stanislai NIEWIESKI Phil: Doct: Matheseos, Physices in Vniversitate Zamoscen: Professoris, sæpiusq; Rectoris Magnifici, felix Surculus, substantia Patris locupletissima, ingenij expressa Imago. Patrisat omnino, Mathematicis Disciplinis, & Iuridico studio exasse devotus. Nomen illi Cononis, radiô totum, qui mensus est orbem.

Stemma Avitum NOVINA aliàs Zlotogloczyk



Non fru-

NOn frustra polles NIEWIESKI Magne Novinâ,
Respondent Decori scilicet acta, Tuo.
Ingenio non vlla Tuo nidosa resistent,
Acer, quæ rerum scindere vincla soles.
Ensis vtrinq; ferit; plures, per Palladis arva,
Vt Tibi sic Palmas demetat, atq; legat.
Laurus ergo acie mentis, mete vertice Montis
Parnassi: flectet pes, venerando, Tibi.

XI. V. D. STEPHANVS BENISZCH.

IPse sibi, reque Nomineq;, pulcherrima Coronis, & optima merces; absq; eo, quòd claros in Lalario amplissimæ hujus Vrbis veneretur Penates. Sub auspicata directione, Clarissimi, & vtraq; in Cathedra, Scholastica, æquè ac Ecclesiastica Meritissimi Viri GABRIELIS PROFECKI Collegæ Majoris, tantum Adolescens profecit, quantum nonnisi vero profectui satis est. Iurisprudentiæ, Orbis Moderatrici, vitæ suæ momenta consecraturus. Nomen habeat Decij; cujus Regulæ juris, decantatissimæ Iurisconsultis.

Stemma: Duo Lilia conjuncta cum Sesquicruce.



Cum Lemmate: Candore, Trophæis.

MVsis grata dies, lauris ver, dicito; quando
Candida SESQVICRUCI LILIA juncta nitent.
Stemma BENISZCH claret cûi Musæ LILIA plenis
Dant manibus, Charis sternit & alta viam.
CRVX signum celebris Iagelonis in Orbe triumphi,
Quàm bellè vincas, denotat, ore Sopsos.
Consignet tantùm longum (prout apprecor) ævum
CRVX Tibi! nec dubito, plura trophæa feres.

XII. V. D. IGNATIVS MICHAŁOWSKI.

MEt opolis hæc Regni genuit, Cyrrhâ Iagelonia educavit, dotes egregiæ ingenij capacissimi, ad Laurearum decus capessendum, promovêre Iuvenem, modestiâ, probitate, cæterisq; virtutibus

affatim commendatum. Philoſophia illi, arcanorumq; Phyſices indagandorum dulce ſtudium, laborq; indefeſſus. bono omine do illi nomen Æſculapij, ab Apolline Patre ſecretiorib⁹ Artis Medicæ aphoriſmis imbuti.

Stemma



SesquiCrux in Solea, ſupra Coronam Stella.

Cum Epigraphe: Firmior, his innixus eris

COnſtitit: in SOLEA *quare* CRUX *firma coruſcat?*
Fundatum monſtras Te, ſolidumq; Sophum.
Inclyta ne lateat virtus, veſtigia ſignas,
Ferratis SOLEIS, *judiciumq; notas.*
Sint duro SOLEæ *fero, Caput attamen ipſum*
Cernimus obryzo plus valuiſſe Tuum.
Celſos ergo gradus decurrito tramite recto,
Fauſtum CRUX *greſſum ſignat, & ire facit.*

XIII. V. D. IACOBVS PASCHALIS ARAKIEŁOWICZ.

ET Bellonæ & Palladis firmiſsimum Munimentum, citerioris Ruſſiæ inſigne decus, Zamoſciana Vrbs, & ſtudiorum Vniverſitas, hâc fæcundâ prole gaudet & adoptivam Matri Iagelloneæ Academiæ gratulabatur Sobolem, rotundô oris eloquiô, ingeniô acutô, ſtudiô Philoſophandi indefeſſô, Quaſi Iacobea Scala, ad ſublimia natæ Indoli ſuæ, parat facilem aſcenſum, duce Clariſſimo Viro SAMUELE PODGURSKI, Collega Majore Vocato. Divæ operari deſiderat Themidi, Raymundus Decretalium Compilator Sanctus audiat.

Inſigne



Corona Laurea, in cujus medio Rosa.

Cum Epigraphe: Ex vtroq; decus

Purpu-

PVrpureis decorate Rosis in Orbe Sophantûm
PARAKIEŁOWIC, Laurea serta geris.
Præmia sunt fronti doctæ, sunt mentis acutæ
Signa Tuæ, quantas sparseris ore Rosas.
Fundens voces, confundis Pæstana roseta;
Plinius erubeat, dum Tua suada rubet.
Quare sub Lauro longævus fata triumphes,
Præcinctusq; Rosis quilibet annus eat.

XIV. V. D. IOANNES GNIATKIEWICZ.

NOvercantem sortitus fortunam, at Nutritiam bonorum ingeniorum Indulgentissimam Vniuersitatem hanc à puero prouocauit. Cujus in sinu, illis comparuit locupletissimè cumulatus opibus, in quas, ludum insolentem ludere, pertinax fallaxq; semper Dea nullum Ius habet. Ingenio subtili Iuvenis, secretiora Philosophiæ adyta penetravit ocyùs; & damna Sortis invidiosæ satis superq; rependit. Aristotelem causæ suæ Iudicem appellat, Aristoteles appelletur.

Stemma



Crux in Libro, supra Crucem Stella.

Cum Lemmate:

Palladij sunt signa triumphi.

DOcte laborato Vir cum CRVCE, CODICE gaudes,
Quem sparso, radians lumine STELLA replet.
Sæpe triumphales novit depromere plausus;
Cui docili scriptos, dictitat ipse LIBER.
Consignat verò Tua dum CRVX una LIBELLVM,
Totum insigne notat, quidquid habere potes.
STELLA micat supra, Te illustrem, luce docendo;
Cum lustras libros clarior ingenio.

XV. V. D. THOMAS MAIEWSKI.

TArdus quidem cum Thoma ad Collegiū Discipulorum; seu mavis cum Baldo ad Sapientiā Augustæ Perusiæ venit; sed plus cæteris lucratus est, & citiùs omnibus se expedivit: post trienne studium in humanioribus Philosophicis Laureis capessendis, par omni ex parte adinventus. Modestia, mores compositi, bene dicendi beneq; faciendi æqua potestas, imprimis quem Philosophiæ amor, stationi & Cathedræ

Ecclesi-

Ecclesiasticæ parasse videmus bene natum Iuvenem, merè Nomen Lactantij pro Ecclesia, Tulliano ore, & stylo detonantis.

Insigne Avitum.



Tres Rosæ cum tribus Lilijs.

Cum Lemmate: Certando nesciunt vinci

ATtrahit in dubium, mentem res, sint Tibi Docto
Vnde pari numero LILIA *mista* ROSIS?
Vel quia cum loqueris, simul atq; tacere videris;
Cum taceas, pariter diceris ipse loqui?
Vel quia virtutem in medio posuere priores;
Non plus candoris, quàmq; pudoris habes?
Florigerum Nomen ne tantùm fiat; vel inde
Cumq; ROSIS, *trinis* LILIA *trina tenes.*

XVI. V D. MARTINVS KVDASZEWICZ

ALtis in Montibus, juga Cracij Parnasi non à longè contuentibus, claram lucem auramq; puriorem hausit ad sublimia sanè natus Iuvenis: Ac ideo facile in hoc Emporium Scientiarum omnium descendit, comparandisq; pretiosissimis bonæ mentis Cymelijs perspicacem pupillam admovens, meruit cui operæ pretium Phæbea Laurus ferat, Divaq; Mathesis, quam pronâ eruditi pectoris devotione colit, inter astra locum descriptum deferat. Thaletem appelare libet, qui Solis cursum, primus indagando, consecutus est.

Stemma.



Corona è cujus medio tria Lilia pullulant,

Cum Lemmate: Tibi, Virtuti, Honori.

Assur-

Assurgit niveis gemmis distincta CORONA,
In cujus medio LILIA *trina virent.*
Nempe KUDASZEWIC *in sertum canduit unum,*
Cingeret ut meliùs docta Minerva caput.
Virtuti pretium dando flos pullulat alter,
Floridus ut pateas omnibus ore Lacon.
Tertius in reliquo cupit esse CORONA CORONÆ
Quæ Tibi, Virtuti, LAUREA *pulchra foret.*

XVI. V. D. MARTINUS JOSEPHUS BIERMAN.

Ferax bonorum ingeniorum Varmia cunas Iuveni Nobilissimo statuit, & primum lac Humaniorum Studiorum usq; ad ambrosiam Rhetoricorum propinavit. Alma Universitas Cracovien: Philosophum & Mathematicum fecit. Ope & operâ Clarissimi Viri ANDREÆ BUCHOWSKI Geometriæ Ordinarij Professoris. Suâpte naturâ compositus ad Mathematicas speculationes, brevi insignia, profectûs & ingenij specimina in lucem publicam producturus. Copernicus alter audiet, ad cujus Sistema sol stat stupens nec se movens: terra naturæ immobilitatis oblita trocho velociùs movetur.

Stemma: Ursus

Cum Lemmate: Imperat ille polo.



Alta videns BIERMAN *truculentum cur geris* URSUM
Cùi pectus circum, pulchra CORONA *nitet?*
Non tantùm Cæli rabidos cessere Leones,
Stellatasq; Feras, cunctaq; Signa Tibi.
Deniq; terra ferum meritò concredidit URSUM;
Qui ferret laudis Symbola clara Tuæ.
Quodsi Magna, Minorq; Feræ, regit utraq; classes;
Classibus ingenium præerit atq; Tua.

XVIII. V. D. ANDREAS WĘGRZYNOWICZ

Virtus non expectavit annos, nec aurora meridiem solis in Adolescente Nobilissimo; sed gratiis nutritus in Domo Consulari huius Urbis educatum ad Laurearum immarcescibile decus prensandum, primo vere florentissimæ ætatis evacavit. ingenio perspicacissimo,

ſimo, ſtudiô indefeſſô, morumq; ſuavitate polentem potentemq; Domeſtica exempla ſecutus, ad ſacrum Tribunal Orbis Imperatricis Iurisprudentiæ provocat: triumphet feliciter & audiatq; Pollo inſigne mæſtis præſidiũ Reis, & conſulenti Patriæ, eloquentiâ Tullio ſuppar.

Inſigne Gentilitium Leo cum tribus Stellis,



Cum Lemmate: Vigilantior eſto.

STat terræ pedibus fixis, generoſiùs inter
Cur leo quadrupedes horridus iſte feras?
Aſſurgit magnis forſan virtutibus: armos
Vel ſe orbi Cracio ſuppoſuiſſe docet?
Viribus innatis, robuſto & pectore fortis,
Ingenio ſolidum Te notat eſſe Virum.
Altiùs erigitur STELLIS *lucentibus; ergo*
Tu PHÆBO, *celſos ſcande favente gradus.*

XIX. V. D. FRANCISCVS PLVCIENSKI

ALmæ Regni Poloni Metropoli fauſta cunabula refert, optimæ Indolis, ingenij ſagaciſsimi Adoleſcens. Morum ſuavis compoſitio, indefeſſum ſtudium, dignum laude Virum & in publica luce Patriæ, Matriq; Academiæ ornamento futurum certò præſagiunt. Oratoriis, Philoſophicis velitationibus incumbit forti pectore: ut ſtationem Academicam tueatur legitimè. Dionis nomine inſignitus prodeat, qui ſe totum Divino mancipaverat Platoni.

Inſigne Columba laurum roſtrô gerens in altum evolans



Cum Inſcriptione: Vt cælo ſerta recondat.

Augure

AVgure repletur mihi pectus Apolline; quando
Hæc LAURUM *gestans, Astra* COLUMBA *petit.*
Sæpe gemit quoties gressum defigere novit;
Ingeminat plausus dum volat ergo Tibi:
Instructis celeres ventos transverberat alis;
Excitet ut famam, vel sonet ipsa melos.
Altiùs effertur, potioribus omnia dando
Palmis; quas felix (opto) prehende; cape:

XX. V. D. ALEXANDER CANTIUS IAROSZYNSKI.

NObile Natalium decus laureatis cumulare ornamentis, spiritu generoso ambit, ad magna natus Iuvenis; ideoq; capacissimam quarumvis Disciplinarum Indolem, inprimis Divæ Themidi, Divinorumq; Mysteriorum supremæ Scientiæ conatu indefesso adaptat. Nomen habeat Nobilissimi Oratorum Hortensij, qui REX causarum perorandarum nuncupatus est.

Insigne  LUNA, intra CRUX, supra autem tres STELLÆ

Cum Lemmate: Designat illustrem.

CAndida LUNA CRUCEM *quare complectitur unam?*
Et supra STELLIS *cingitur unde tribus?*
CRUX *lineas probitatis agit, queis constat, proinde*
Debueras Phœbe splendidiore frui.
Inclyta si virtus, claro fulgescit honore,
Hinc IAROSINSKI lumina clara geris.
Moris habes: labris solùm quòd lumina fundas,
Ergo his, splendores addere jure potes.

XXI. V. D. IOANNES FORTVNATVS KVPINSKI.

NOvissimus sed meritò primus, meritò IOANNES, id est gratiosus & fortunatus: qui generosi sanguinis gradibus, per lineam Maternam, ad usq; Ducum Vrbini, S. R. E. Cardinalium summiq; Pontificis SIXTI IV. ac Beatæ Claræ Agnetis Prosapiam, Matre VBALDINÂ, Patre KUPINSKI Consule Leopolien: cretus ascendit: Orator, Philosophus, Theologus, acer ingenio, benefacere, & benedicere appri-

mè doctus. Decora hæc & agnata & solerti ingenio quæsita, Ecclesiæ (in qua Iuspatronatus Leopolien: Canonicatus habet) vt cumulatiora proferat, & coram Domino non appareat vacuus; Laureis Doctoralibus exornandus ad fontem sapientiæ anhelavit: Sacratissimæ, Legum, Canonumq; Scientiæ imprimis rem sacram facturus. Gaudeat igitur nomine Theophili Instit: Imper: Compilatoris Antecessoris, claudatq; fortiter Agmen.

Insigne Avitum: Rosa, supra quam manus armata gladiò.



Cum Lemmate: Succisa resurget

Non jactet latos florens Laurentia campos;
Pæstanas sileant tempora prisca Rosas:
Hæc oculùm vibrare jubet Rosa *roscida lyncem,*
Quæ succisa stylo pulchriùs inde rubet.
Exsuperat nimiùm vernantes grata corymbos,
Succidi quamvis Ense, manuq; valet.
Contexet docto capiti pulcherrima serta;
Armatæ dextræ laurea messis erit.

III. V. D. STANISLAO BRYKNER.

Secundæ Laureæ Licentiato,

AUTHORI OPERIS,

Pro RESERATO JAGELLONICÆ PALLADIS ADYTO in argumentum aperti pectoris, & mutui affectûs Epigramma,

THOMAS KIWATSKI.

ejusdem Secundæ Laureæ Licentiatus offert. D. & C.

CRescentio Patre, de saluberrima PHARMACEUTRICE, deq; hac Metropoli optimè merito satus: ut in auge crescentis cum ætate florida lucis clarus appareat; egregiæ ingenii dotes, fandi copia, philosophandi subtilitas, cæteraq; bonæ mentis decora, certum Iuve-

ni ad

ni ad optima nato solidéq; formato augurium faciunt. *Ductor* studiorum suorum Magnificus Almæ Vniversitatis huius RECTOR: quantum hoc ad benè agendum generosæ Indoli calcar! Philosophicis devotum pectus gerit disciplinis: Physicus me vatè Nobilis futurus: ac vel ideò Nomen habeat Carneadis in eloquentia Ethyca plausum vbiquè promeriti.

In Avitum Stemma:

Cum Lemmate:



Columbam gerentem rostrô Olyvæ Ramum, ad quam tres apes advolant.

Vt sit fæcundior ore.

NOn Peristeriam cano, quam Cythereia proles
In Veneri sacram transvariavit Avem.
Tu venis in mentem BRYKNER, *quem doctus Apollo*
Parnasso volucrem, deliciumq; dedit.
Par superis animus Te vult donare COLUMBÂ;
Vt promptum geniô, Mercuriumq; notet.
Clariùs vt referas Dodonia jussa Deorum;
Incolit umbriferæ viscera dura petræ.
Diva Minerva suam rectè Tibi cessit OLYVAM;
Quam colis, & Musas, Doctior ore refers.

Eidem Authori Operis.

IACOBVS ARAKIEŁOWICZ

ADYTO PALLADIS IAGELLONICæ in vim mutui affectûs, Votum addit.

AVgure non Mopso certus sis velleris aurêi,
Dum famæ Colchos, blanda COLUMBA *petit.*
Paciferæ Ramus Tibi quìd prætendit OLYVÆ?
Omen habe viridis, quod capit Arca Noæ.
Examenq; APIUM *Pæstana Rosaria sentit,*
Vnde velint ori mellificare Tuo.
Hinc sincera Tibi veluti sine felle COLUMBA,
Vt vireas, votis vota rependo Tuis.

SVB



SVB FELICISSIMO REGIMINE,

Magnifici, Perillustris & Admodum Reverendi Domini,

D. M. PETRI PRACZLEWICZ,

S. Theologiæ Doctoris, & Professoris, Collegæ Majoris, Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI ad Cracoviam & Pilecensis Decani, Præpositi Prossovicensis, Scholarum Novodvorscianarum & Contubernij Hierosolymitani Provisoris, Studij Almæ Vniversitatis Cracoviensis, Generalis & Vigilantissimi

RECTORIS.